



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De collatione suffragiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

à recepta consuetudine ad hanc publicationem faciendam substituto, non quidem quasi nomina eorum, qui vota dederunt, publicari debeant, sed ut appareat, quis, vel qui nam nominati fuerint, ut habetur in *relat. c. quia propter*.

Effectus autem huius publicationis est, ut eâ factâ Electores variare nequeant, datum suffragium revocando, & alteri novum dando, quia post publicationem hanc factam jam censentur plene suo functi officio à jure ipsis concessio, ita, ut, quæ subsequuntur, necessariò subsequantur, ad quæ cogi etiam possint Capitulares per superiorem, cujus est factam electionem confirmare, si morari vellent, *c. publicato, 58. h. t.* & nulla sit electio, si post Scrutinium moram trahant Capitulares, & ad electionem faciendam devenire morentur *c. cum post 46. h. t.* ita ut si dolose, & in fraudem Canonis morentur, compelli debeant etiam post moram ad electionem faciendam Capitulares, quæ in tali casu valida erit, quamvis post moram notabilem facta, cum negotium electionis, per scrutinium, & huius publicationem ceptum perfici debeat, ut habet *Glossa in relat. c. publicato. V. compellantur*.

Hæc tamen, quæ de non facienda variatione post publicatum scrutinium dicta sunt, intelligi debent, 1. Si non contra formam juris peccatum sit, neque peccat contemptus unus scrutinium irritari. 2. Nisi facta publicatione appareat, quod communis electio ex tali scrutinio fieri non possit, cum major & sanior pars Capituli in unum aliquem non consenserit, vel nisi appareat, indignum fuisse nominatum, qui eligi non

possit; vel juri suo renuntiaverit nominatus in scrutinio, cum in talibus casibus per variationem nemini fiat præjudicium.

§. III.

De collatione suffragiorum.

EX *relat. c. quia propter*, ulterius habetur, quod post publicatum scrutinium, statim debeat fieri suffragiorum collatio, vel ab ipsis scrutatoribus, si tacite vel expresse ad hanc ipsam collationem faciendam à Capitularibus approbentur, vel ab aliis ex consuetudine recepta, aut mandato Capitularium deputatis, ut appareat, quis à majore, & saniore parte Capituli nominatus sit, ita ut hac omisâ collatione nulla sit electio *c. Cumana 50. h. t.* Facienda autem est collatio, tum numeri ad numerum, tum zeli ad zelum, tum etiam meriti ad meritum, ut constat ex *c. in Genesi 55. h. t.* Censetur autem numeri ad numerum facta collatio, si attendatur, in quem major pars Capituli præsentis consenserit; Zeli verò ad zelum collatio tum ficti censetur, si ad ipsorum eligentium intentiones, & motiva, quæ exposuerunt, & ex quibus ad hunc aliis præferendum moti fuerunt, attendatur; qui zelus etiam sub nomine sanioris partis Capituli venit, ita tamen ut hæc majoris zeli collatio sæpius præsumatur in electionibus ex solo majore numero Capituli in unum consentientis, & semper omittatur hæc collatio zeli ad zelum, uti etiam meriti ad meritum, quis præ altero scilicet mereatur dignitatem illam, ad quam fit electio, si duæ partes præsentis Capituli in unum aliquem consenserunt, uti colligitur ex *c. si quando 9. h. t. in 6.* vel si per pri-

privatis schedas fit Scrutinium, quo in casu pro probitate eligentium, juramento sæpius ad dignissimum eligendum adstrictorum præsumitur *Clement. 1. §. de muni de V. S.* & si nullum dubium super habito Scrutinio, aut qualitatibus nominati, &c. moveatur, sufficiat sæpe generalis aliqua collatio.

§. IV.

De Electione communi, seu Capitulari, & solemnii.

Collatione facta, si appareat, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit & dignus hic sit, ac habilis, fieri debet statim, eodemque contextu, antequam ad alia extranea divertatur, nisi necessitas aliud jubeat, decretum electionis, & omnium nomine ab uno, qui præest V. G. Capitulo, vel alio quocunque juxta loci consuetudinem, aut Capitularium voluntatem, publicè promulgari, quis sit electus, uti iterum ex relat. *c. quia propter*, habetur; forma autem Decreti hujus, & hujus publicationis communiter hæc est: *Ego N. nomine meo, & omnium eligentium mibi que consentientium, invocata gratia S. Spiritus, in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesie N. eligo & electum pronuntio, & coram vobis publico, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et hinc Clandestinæ electiones, quæ non publicantur in Capitulo, aut quæ fiunt clamculum in locis seu conventiculis occultis, reprobantur in relato *c. in Genesi*, & in *c. Ecclesia 48. b. 1.* quæ sine verbali promulgatione facta fuit, vel deportationem V. G. ad aram, &c. si tamen sint Electiones Prælatorum Ecclesiasticorum, in

quibus observari debet forma *c. quia propter*.

§. V.

De Electione faciendâ à majore & saniore parte Capituli.

Resp. 1. à minore Capituli parte facta electio, quæ jure naturali etiam irrita est, non potest convalescere, per accessionem votorum, si ea ab aliis fiat, post decretum electionis communis factum, & solemniter promulgatum (ut patet ex *c. auditis 29. b. 1. quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. juxta Reg. juris 29. FF. de Reg. juris*) si tamen talis accessio fiat post promulgatum quidem scrutinium, nondum tamen factum aut promulgatum, electionis Capitularis decreto, eo quod ex Scrutinio illo nulla Capitularis electio fieri possit, valida erit electio, si major pars Capituli in unum aliquem taliter consentiat. Censetur autem major pars Capituli in unum consentire, non quidem, si plures Capitulares tantum sint pro aliquo, & pro aliis sint pauciores, sed pro quo stat major pars Capituli præsentis, ita ut plus, quam dimidia pars præsentium, & volentium eligere, in unum aliquem consenserint, modò duæ partes eorum, qui volunt, & possunt adesse, præsentibus sint, prout patet ex relat. *c. Ecclesia 48. b. 1.*

Resp. 2. Requiritur quidem ad validam electionem copulativè, ut à majore (quo ad numerum) & saniore (quo ad auctoritatem & zelum eligentium, ac electi meritum) parte electio fiat, ita ut à majore quidem parte facta electio non tamen à saniore, & vicissim, nulla sit, pro-